

Sumptuosissimum esse putet se permutarier.
 Vae mihi, si ita illum liberari velim,
 Ut hostes maiorem vim Romanis inferant;
 Me quasi proditorem patriae exsecretur pater.
 Recte novi magnum eius erga patriam animum.
 Quam diu magnus eius animus patriae proderit,
 Constanter sustinet fortunam; sic libentissime
 Manet servos neque adeo libertatem desiderat.
 At. Non ille suam ergo libertatem desiderat?
 Optume; iam suum persequatur officium;
 Evidem ecastor meum recte notum habeo.
 Multis stellae viis currunt; nobilium ordinis
 Perpetue conservandi ac tuendi voluntas utitur;
 Multis temperamentis humana voluntas utitur;
 At Iuppiter optimus maximus hanc certe differentiam
 Abolebit. Is modo huic rei audebit refragarier,
 Qui non ad naturam rerum attendit animum,
 Sed suas dicit rationes. O Regule, o miser!
 A filio, a patria, ab hominibus destitutus es omnibus.
 Quis tandem est, qui te sub cultro non liquerit?

SCENA IV

SERANIUS, PUBLIUS, ATILIA, MUCIUS

SE. O pater! — PU. Iстic puer somniat. — AT. Non ambigo,
 Quin mentem istius meae perturbarint querimoniae.
 SE. O pater, o pater! — AT. Patrem inclamat; istius spiritus
 Amaritudine premitur. Quam gravest istius somnium!
 Ego iam excitabo. Expergiscere, Serani, expergiscere!
 SE. Ubi sum, mea matercula? ubi est meus pater?
 AT. Est in vinculis, mi fili; tu nunc somnias?
 SE. Quod tantum somniavi, gratias ago dis maxumas.
 AT. Tunc dis agis gratias? — SE. Somnus mi dirus fuit;
 Vidi patrem, quam squallida, quam commutata facie!
 AT. Nunc ille certe talis est. — SE. Rapaci flumine
 Terribiliterque strepenti revolsi inter nos sumus;
 Tum pater ambas ad nos cupide extendens manus
 Paterno amore nobis conclamavit; at quom fluminis
 Streptu vocis auditus impeditus esset formidabili,
 Tu mater et tu, Muci, coepistis vocem mittere
 Tanta acerbitate, ut meus percelleretur animus.
 AT. Ita est, ita est. — SE. Tum mi caput coepit torpescere,
 In flumen iactu me dedi et ad illum accurri et bracchia
 Inieci et animam expiravi in eius pectore.


(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA

QVID QVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

Per.
 Lat
 011

C. DEL VECCHIO.





Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Februario MCMXXXVI

Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XI

ANNUM SACRI PRINCIPATUS DECIMUM QUINTUM

FELICITER AUSPICANTI

« ALMA ROMA » COMMENTARIUS

PRONUS IN OBSEQUIUM

OMNIA FAUSTA FELICIA ADPRECATUR

Domine, salva nos, perimus!

*Phoebus adest, medio rutilanti splendet Olympo,
et tenues umbras contrahit alta dies.*

*Cuncta silent, caelum, valles, nemus, aequora, silvae;
fessaque sub viridi sepe lacerta vacat.*

*At subito nigris impletur nubibus aether,
fulminis atque crebris ictibus horrissonis
insonat; interdum ventorum turbo per auras,
proelia commiscens et freta saeva ciens,
concutit, abrumpit stridenti ex arbore ramos,
exturbat segetes et sata sternit humi.*

*Heu vota, heu spes incertas, sterilesque labores
agricolae, hunc miserum tristia fata premunt!
Sed iam post subitas, Phoebo redeunte, procellas
en rident valles, aequora, ridet humus.
Sic hominum sors, mortalis sic vita resultat,
quae, dum sancta manet, cara Deo magis est.
Mens ignara mali, caeli iussisque fidelis,
post mortem sedes pergit ad aetherias.
Dummodo nos sanctis ducamus legibus aevum,
sol vitam nobis candidus irradiat.
At cum perversis mens sensibus obscurata,
culparum denso turbine contegitur,
omnia sunt ingrata Deo; pietatis et expers,
relligione carens, devius errat homo.
Illius ignotus tunc intestina perurens
ignis, heu misero saeva venena parat.
Oh dolor, oh lacrimae singultibus interruptae!
quis referet sanctae munus amicitiae?
Quis, Deus, everso culparum turbine mundo
quis, sine TE, validum quis dabit auxilium?
TU, bone lucisator, mundi Tu conditor adsis,
nostraque TU clemens accipe vota, Deus,
atque PIUM nobis, si pro pietate meremur,
Pastorem serves sospitem et incolumem.
Nestoreos illum nobis tuearis in annos,
dum sanctas caeli nos docet ire vias.
Salve, Sancte Parens, Christi qui sceptrta, vicesque,
aeternum Romae qui regis imperium!
Tu decus et nostrum columen, spes unica vitae,
credita quem nostri cura superna manet.
Tu mente ornatus generosa et corde sereno,
scrutaris miti cuncta supercilium.
Italus, Italiae dextram protendis amicam;
sic oritur caelo Conciliata Fides.
Accipis ex toto venientes Orbe fideles,
quos doceas Christi verba verenda sequi.
Quaeque animum luctu opplent non Tibi tristia desunt,
saepe Tuum moeret pectus amaritie.*

*Vir lupus ecce viro est, natura haud mitior illi,
quam bruto in brutum, quod trahit ira ferox.
Sese inter pugnant ab eodem semine nati,
sanguinea mundum dilaniantque manu.
Saevior ingenio, fulvoque potentior auro
insistit miserum, comprimit, exanimat.
Iustitia e caelo redeat, Verumque, Fidesque,
queis Sanctus Christi concomitatus Amor,
disperdant odium, generat quod saeva venena,
evertitque domos, Regnaque et Imperia.
Tu fac ad portus mittamus vela beatos,
aequoris infidi ne pereamus aquis.
Almaque PAX nobis redeat, totumque per Orbem
Unica PAX Christi regnet et Unus Amor.
Hoc, PIE, de caelo obtineas votis, precibusque;
aeternum de TE praecinet historia.*

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

DE INGENUIS ARTIBUS IN POPULUM PERVULGANDIS

Haud pauci sunt, iique sapientes viri,
quorum una est eademque sententia, re-
ferendae pulchritudinis vim altissimam
non ideo selectis quibusdam hominibus
fuisse tributam, ut ipsa veluti suo tantum
delectamento fruerentur, vel exigui disci-
pulorum agminis laudes captarent, vel ex
effictis operibus opulentum facerent quae-
stum. Qui omnes inde iure queruntur ho-
diernum summorum artificum modum eo
subtilitatis et calliditatis venisse, ut non a
rudi tantum plebe iam percipi nequeat, sed
nec ab urbano quovis, qui novae huius
Eleusis sacris forte nunquam adfuerit. Hoc
itaque absurdum artium genus, hoc ridi-
culum simul ac pestiferum improbat, con-
clamantque eo esse tandem redeundum,
quo pulchritudinis opera iterum plana et

aperta effingantur et popularium multitu-
dinem sana recreatione reficiant.

Ex adverso tamen qui contra opinantur,
etsi nimium quoddam ab exploitissimis hi-
sce artificibus inventum esse concedant,
tenaciter asserunt recondi tum hoc et ex-
quisitum artium genus et calamistris exor-
natum, minime esse earum naturae adscri-
bendum.

Addunt tamen opera artificum eo melius
nitere, atque hoc ipso altiorem animis oble-
ctationem parare, quo sublimiores vertices
alis attigerint, quum vel neglectos naturae
adspactus retulerint; earum autem formam
pro rerum sublimitate lectiorem esse de-
bere. Verum huiusmodi opera, quum cuivis
e vulgo plana et aperta esse nullatenus
possint, necessario sequitur, ut quidquid
de artium ratione pro popularibus innova-
nda dictetur, utpote vaniloquia, ac
stulte effata sint habenda, quippe quae cum
ipsa artium natura ex opposito pugnant.

Falso idcirco artifices argui dicunt, quod metam hanc supremam, multo labore multaque cura per impervia persequentes, proprio de humana societate officio desint; sed potius civium ignorantiae esse succurendum, quousque, convalescente intellectum acie, ea singuli valeant cum delectione percipere, quibus hactenus nonnisi paucis datum sit frui.

Equis enim, iterant, prudens adfimet, Horatium, quem stilo principem inter latinos poetas omnes tenemus, exquisita illa perfectione dicendi poëseos artem corrupisse, eo quod adolescentibus in latinitatis limine non satis planus videatur? Vel Wagnerium, qui musicis instrumentis et organis quanta referenda dramatum poëseos inesset vis primus altissime ostendit, musices pervertisse naturam, quod urbanae nostrae plebes attentis satis et acutis auribus non polleant, ut nimis implicatas eius harmonias percipere, vel earum moralem sensum deprehendere valeant?

Hinc itaque magis in dies excolenda plebs dicitur, atque opportunis instruenda auxiliis, quibus artium operibus intelligendis, si quae obscuriora sunt, pares fiant; inde artium progressus non impediendus, quousque saltem unum sit consilium, altorem pulcritudinis formam carpere et nobis repreäsentare. Quae omnia quum re assequuti erimus, de populari vel de patricia arte nullus amplius erit sermo, sed una eademque manebit eius ratio, eaque pariter omnibus delectabilis, quae exquisitiorum in dies pulcritudinem magis efficaci forma hominibus referet.

His adamussim, vel similibus argumentis, inter patriciae vel plebiae artis fautores controversia instituitur, quae proinde, ni fallor, paucis enucleari potest: utrum, posito artium ingenuarum praecipuo munere, quod est pulcritudinis specie animos recreare, earum lectiores formas usque ad humiliorum rudem intellectum deprimere deceat, an humiliorem plebem extollere

quodammodo oporteat usque ad supernos Parnassi vertices, ut maxime exquisitis murarum gratiis et erudiri et delectari omnes possint.

Res profecto ea pertractione digna est, quae angustum hoc spatium longe praetergrediatur; eam igitur attigisse hodie satis fuerit. Verum quum ipsa inter societatis humanae disciplinas potissimum locum apud eos obtineat, qui quantum polleant in hominum mentibus artium ingenuarum opera probe noverint, argumentum, si placeat, alias persequemur.

I. ANTONELLI.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NEO-LATINA.¹

Ut qui aeger diu iacuit et medicinae stimulo excitatur vires resumere vividiores videtur, sed mox denuo recidit quasi viribus deficiens antequam, valetudine recuperata prorsus, novam ineat vitam, ita etiam ius romanum post vividam alacremque glossatorum operam diu rursus declinat; quae periodus, a medio XIII ad exiens fere saeculum XV, appellatur *Pragmaticorum*, *Scholasticorum*, *Postglossatorum*, *Commentatorum*, *Bartolistarum* et *Dialecticorum*, suumque habet ortum, meridiem et lendum occasum, qui tamen diem novam praenunciat luce pura plenaque fulgentem; diem inquam iuris communis. Nos *Postglossatores*, generico nomine, appellabimus omnes; quorum triplex quasi agmen distinguemus: *Practicorum*, *Dialecticorum* et *Humanistarum*, triplici ferme periodo: omnium commune id est, ut a

¹ Cfr. fasc. sup.

litera contendant ad sensum; ab exegesi ad systema, a positiva ad speculativam rationem, ut legem aptent ad usum novae vitae, corrigentes glossatores qui vitam novam ad veteres quaquaversus leges trahere nisu omni conati sunt; omnium, dixerim, motus a legibus quasi centrifugus; illorum autem magis incertus et implicatus, quasi infantis, qui nondum suis firme stet cruribus; istorum alacrior quidem et expeditus sursum quasi ad cacumina, ad nubes, ad astra, ad abstractiones; horum demum minus fortasse alacer, non minus autem quam istorum agilis, omnium proculdubio tutissimus, quasi virorum, qui caute quidem, sed tuto incedunt per regionem amoenam utique, nondum tamen bene sibi perspectam, longe lateque, ratione ac via exploraturi.

Postglossatores *practicci* Accursiani etiam appellantur; omnes enim ab Accursio² procedunt; praesentium rerum tamen necessitatem non exponendi modo, sed elaborandi quoque, evolvendi, emendandi, complendi iuris romani, componendi deinde illis cum elementis quae et ius canonicum, et ius langobardicum, et ius feu-dale ita inseruerunt in vita, ut nefas et absurdum esset, si quis praesumeret non dicam evellere, sed eos vel ignorare aut praeterire. Literalem interpretationem absolverant glossatores; ad eum apicem evenierat Accursius, ut nemo speraret altius eamdem attollere; itaque Accursii discipuli sunt, rationesque glossae acquisiverunt relate ad usum vitae; inde nova studiorum

via, quae e principiis iuris ad factum cotidianum descenderet.

E *Practicis* nonnulli ulterius progrediuntur longius a litera; vel, melius, in literis insistentes eisque adhaerentes atque vim inferentes distinctionibus et logomachiis, quas appellant, otiosis.

Huiusmodi nova ratio non illico sed sensim invaluit, dictaque est « *Mos Italicus* ». licet non modo in Italia, sed etiam in Gallia defensores habuerit; sed adversarios quoque; de qua ita perbelle et salse Grimaldus Mofa:

*Praemitto, scindo, summo, casumque figuro,
Perlego, do causas, connoto, obiicio.*

De *Dialecticis* eleganter Cuiacius: « *Verbo* in re facili, in difficile muti, in angusta diffusi ». Durius etiam Savigny *Dialecticos* iudicat, quamquam, si quid opinor, immerito. Nam pro criticis subsidiis quae aetas illa suppeditabat, glossa et exegistica methodus, post Accursium, nihil fere dare amplius poterat; ideo necessario declinabat. Sunt autem, ut in hominis aetate, ita et in rerum historica evolutione gradus quidam, qui nec praeteriri nec perpetuo teneri possunt; non praeteriri, quia natura non facit saltus: celeriorem aut celerrimum indulget quandoque gressum, nunquam vero saltum; non perpetuo teneri, nam vita progreditur; et in doctrina, ut in pietate — utraque enim via Domini — non progredi est regredi. Itaque *Dialectici* progrediuntur; progressus autem in eo est, ut e litera iuris romani, quam *Practici* constituerant, animam vocemque novam ducerent, ad nova regenda tempora, ad novam moderandam vitam, ad novam comprehendendam hominum consortium. Sicut Divus Thomas venerandam Aristotelis Graecorumque sapientum doctrinam evocat, evocat experientias animi, evocat vi-tiae usus, Patres, Concilia, ut novam inde promat theologicam rationem, ita *Dialectici* a litera iuris romani exorsi, novam

² Accursius, Florentiae humili loco natus anno circiter 1182 glossatores omnes longe superavit et brevitatem sermonis et copia rerum; sententias legum aperit affabre, similes locos confert, contrarios componit, quae-sitiones opportunas excitat atque definit acute; neque ei sed eius aetati culpas tribuendum si quid elegantiae stylis desit. Obiit an. circ. 1260 ab omnibus defletus, maxime autem a iuris studiosis, qui eum « *Advocatum Idolum* » appellaverunt; eiusque « *Glossa magna* » nunquam non usi sunt quasi fonte praecipuo iuris ci-vilis.

quaesiverunt vocem exinde experimen-
dam.³

Iamvero ab exeunte saec. XIII adversus eos qui dialectica abuterentur methodo restiterunt quidam, quod non concinnus esset iuris peritis stylus; inde conatus primi ad novam quaeritandam viam in qua et scientiae et styli elegantiae pari studio consuleretur; expolitum itaque glossa, expolitum simul et dialectica; illa enim ad elegantiorem criticam artem evehit, et legum textus genuinus pro viribus restituitur, addito apparatu critico, at dicendi genus ita emendatur et excolitur, ut paene « classicam romanitatem » aequet; dialectica autem a formulis otiosis atque obsoletis expeditur, quo aptior fiat ad nova iura promenda; neque iam fere a iure ipso distinguitur, quod ad novas rationes celerius atque audentius in dies contendit. Primum huiusmodi studium, quod *humanismi* nomen habuit, non iuris proprium, sed litteris et artibus commune fuit; alterum autem, quo omnia ipsa iuris renovari visa sunt, postea, ut planum est, successit, quum scilicet romanum ita renovatum ius ubique quasi proprium plane est receptum, factumque ius commune; quamobrem prima humanismi pars accenseri potest tum, veluti conclusio, superiori aetati, cum etiam quasi prooemium posteriori; id enim semper fit in humanarum rerum historia, in qua nulla datur lacuna saltusque, uti diximus, nullus, sed perpetua atque continuata re-

³ Praecipios Dialecticos Alciatus eleganti hoc epigrammate collegit:

In iure primas comparatus ceteris
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes actio
Baldum forensis sustinet.
Non negligenda maxime est tyronibus
Castrensis explanatio.
Opinionum tutius Symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Iason, atque lucis nomine
Videndum est properantibus.
His si quis alios addidit interpretes
Onerat quam honorat magis.

rum evolutio, ut, quae serius appareant, germina repeatant modo manifesta, modo vero obscura, ab iis quae prius perfecte sunt atque absoluta.

Sunt qui censeant Humanistarum periodum minus nobilem esse, ad ius quod attinet, aestimandum, eo quod tum scientia iuris declinare videatur et fere litteris cedere; id autem non dixerim, siquidem, post Bartolum, qui obiit ann. 1357, *Bartolistas* videmus non ultimae notae tum esse sequutas ad medium ferme saeculum XVI,⁴ quum iam Humanistae adulti aliam viam et iniissent atque explorassent, quasi ut iidem suppeditarent ex linguarum, codicum, rerum veterum vigili sollertia studio quod illis decesset; nam et « *civilistae* » et humanistae elegantes floruerent.⁵ Gratulari itaque liceat utrique agmini, commentatorum nempe et humanistarum, quod suam quisque viam trivisset fidenter, rati, quamvis neutri plane assentientes, neutri omnino adversantes, eos de iure optime meruisse. Liceat de commentatoribus sermonem concludere his gravissimi Gravinae verbis: « Atqui hi omnes ab Irnero usque ad Alciatum explicandi ratione usi sunt utili quidem illa et peracuta, sed non ubique vera; nam ubi non tam ingenii vires proficiunt, quam lectio veterum, et morum temporumque cognitio notitiaque sermonis abstrusior, haerent ipsi misere ac saepe labuntur; etsi aliquando audaci conjectura freti, divinatione potius quam arte rem consequantur. Stylo praeterea utuntur illorum temporum inquinato, et barbaro; a cuius tamen lectione, ob rationum acumen et rerum ubertatem, viri maturioris iudicii

⁴ Huiusmodi sunt ex. gr. Bartholomaeus a Saliceto († 1412), Fulgosius († 1427), Imolensis († 1436), De Castro († 1441), Caepolla († p. an. 1477), Socinius Bartholomeus († 1507), I. Maynus († 1519), Desius († 1537).

⁵ Inter alios Cynus Pistoriensis († 1336) Bartoli magister, Niccoli († 1437), Valla († 1457), Politianus († 1494), Laetus († 1498), Crinitus († post 1505), Aymarus († 1555?), Alciatus († 1550).

minime abhorrent; immo vanitatem rident eorum, qui non tam eruditione propria, quam ineruditorum interpretum contemtu atque fastidio se profitentur eruditos ».

SYLVIA ROMANI.

DE CASU AD RES REPERIENDAS HOMINI UTILES

Consulenti rerum scriptores facile patet saepe saepius casum fuisse in causa, ut plurima ignota vel obscura in lucem prodirent. Quin imo ex ipsis fabulis, seu ex rerum fictarum sapienter ordinata collectione, quae graeca voce mythologia appellatur, id ipsum quodammodo coniuci potest: namque si fabulosis personis quivis homines sufficientur, narratio seu fictum superest factum minime falsitate laborans, quum a vero ac probabili non dissideat, viamque insuper ad multa inventa, detectave explicanda facile patefaciat.

Memrum enim, ut fama est, aquatilem avem consipienti, quae ad vires fessas tantisper reficiendas in arboris trunco summis undis supernatanti consedisset, navigandi ratio affulsit, ita ut brevi Sidonius heros arduum inierit consilium. Ferunt etiam Isidem rudi cymba aequor arantem summis in hastis madidas explicuisse vestes, easque quum, vento perflante, longe lateque tumuissent, facilioremque parvae rati reddidissent cursum, Aegyptiae deae occasionem praebuisse, qua vela inveniret. Pan autem calatum seu fistulam primum confecisse dicitur, quum gratum acceptisset sonum, qui ex vento medias in arundines inflanti profectus esset.

Sed ut ad historias revertamur, statuit Plinius artem conficiendi vitri ex casu originem duxisse. Quum enim in eo esset, ut Phoenicii mercatores salis nitri in fluminis Beli ripa escam sibi coquerent, neque lapides ibi reperirentur, quibus quasi

tripodi innixa vasa calefierent igne, accidit ut salis nitri fragmenta lapidibus suffecta flammis liquecerent, ripaeque coagmentarentur arena; quo factum est ut ex fortuita mixtione aliiquid translucidum proficeretur, quod postea arte expolitum perfectumque vitrum evaderet.

Praeterea neminem fugit, rationem, qua pondus cuiusque rei seu corporis proprium statueretur, casu fuisse ab Archimede detectam. Hiero Syracusarum rex quamdam auri argenteique vim aurifaci dederat, qua coronam ei conficeret; expletoque opere, in suspicionem adductus, ne ab artifice deceptus esset, praeclarissimos quosque artibus viros, doctrinaque in sua civitate pollentes consuluit, ut sibi modum patefacerent, quo auri argenteique copia in exstruendo diadema adhibita ponderari possent. Iam vero quum Archimedes quadam die vires aetu fractas balneo reficeret, animadvertisit sui corporis pondus aqua quodammodo imminui ac relevari. Lætitia gestiens continuo ex balneo prodiit, ac plane oblitus nuditatis: εὐρηκα, εὐρηκα elata clamans voce, in vias Syracusarum passim pervadendas se contulit. Deinde summam vario modo conficiendo atque subducendo, ad unguem mathematicorum statuit rationem, qua pondus cuiusque rei perspici posset; et quum auri pondus ab argento differat, ex toto coronae pondere haud difficulter deprehendit, quanto utriusque metalli vis in diadema conficiendo esset adhibita.

Fossilis quoque carbonis usus casui adscribendus videtur. Nam quidam Houillos, qui in urbe Plenevaux ferreas inducebat soleas, adeo egestatis angebatur angustiis, ut vel carbo, quo artem ageret, illi saepissime deesset. Quare quum de alenda familia omnino desperaret, in eoque esset, ut is sibi mortem consciceret, in senem incidit, quem de suis aerumnis certiore fecit. Cui senex miseratione affectus: — In vicinum — inquit — montem te confer,



ubi solum effodiendo nigram reperies terram ad comburendum maxime aptam. — Quod ad amussim fecit Houillos, eiusque inventum ita longe lateque propagatum est, ut posteri ad huius facti memoriam servandam fossilem carbonem gallico nomine *houille* appellaverint.

Narrant etiam calidam potionem ex arabis fabis tostis ac tritis, quae tam bene stomachum molliat, ex casu originem duxisse. Accidit enim ut caprae in Persia, postquam id genus fabas comedissent, agitari coeperint, nec somnum capere potuerint. Quod quum animadvertisset pastor, atque in huiusmodi leguminibus et ipse periculum fecisset, cuiusdam coenobii praefectum de hac re admonuit, qui fabas nervorum excitandorum virtute praeditas in usum deduxit, quo alacrius e lectulo surgerent fratres ad divina explenda officia. Quamobrem id brevi in tota Persia propagatum est, atque in Arabia, ex qua praesertim Arabum fabarum nomen id genus legumina acceperunt, quum exquisitoria sint, quae ex Arabiae solo gignantur, quaeque *moka* vocabulo designentur.

His adde quod medicaminis quoque virtus ad pellendam febrim apprime apti, atque *chinae* nomine usurpati, fortuito detecta sit ab Indo quodam febre laboranti, qui quum aquam bibisset lacunae, in qua *chinae* cortex ramique essent immersi, plene perfecteque convaluerit.

Ceterum perspectum cuique est ex casu multa fuisse profecta, quum praesertim viri acri ingenio atque ad res inspiciendas suapte natura accommodati fortuitis adfuerint eventis. Hi enim viri quae forte acciderint tanta animi contentione ad trutinam revocare consueverunt, ut ignotas naturae leges detexerint, eiusque mirifica patefecerint arcana. Quem enim latet Galilaeum in Pisae templo ex lampade, quae ab aedituo impulsa hac illac aequo itinere per aera ferretur, horologii perpendiculum hauisse?

Newton etiam ex malo in solum decidenti arduis iteratisque studiis eo tandem advenit, ut deprehenderet, omnia in hac rerum universitate atque compage pondere suo, ac vi quadam ineluctabili ad commune centrum ferri et quodammodo pertrahi.

Ita Watt, quum perspexisset ex summa olia operculum aqua vehementer ferventis sursum extolli, vim vaporatae aquae detexit; ex quo facile exstructas ubique gentium accepimus machinas, quibus nomen a vapore, quaeque terra marique viatores atque omnis generis merces in longinas transvehunt regiones.

Ita denique, ut cetera praetermittam, quae enumerare longum est, ex tunica ad focum calido aere tumenti occasionem arripuit Montgolfier, ut immanis magnitudinis conficeret globos, qui sursum in aera attollerentur, quique nostris hisce diebus, exquisitiore arte perfecti, in varios adhuc bentur usus, praesertim ad naturae leges summis in regionibus ulterius investigandas.

HER.

LUDI VETERES ET RECENTIORES

Est ubique cognitus ludus, quem Itali nunc *scacchi*, Galli *échecs*, Angli *chess*, Germani *schachspiel* vocant. Eumdem Romani *ludum latrunculorum*; Graeci *kubves*, Indi, apud quos primum notum fuisse constat, *sciaturanga* nuncupavere. At fabulosis illis historiis, quae eius originem referunt, nulla est adhibenda fides, neque illum exortum credendum est, nisi prima gentis aetate, poetis decora fictionibus, exacta; non igitur ante annum millesimum et quinquagesimum ante Chr. nat. Huiusmodi vero *sciaturanga* non bini, sed quatuor homines ludebant, quadruplicato agmine, singulis distincto coloribus, viridi nempe, ni-

gro, rubro ac flavo: neque Indiarum fines hic ludus pertransiit, neque Indis quidem omnibus notus fuit.

Apud Romanos *calculi* etiam nomen ludo inditum, quia primum ad eiusmodi genus lapilli exhibiti sunt: deinde ex alia materia calculos fingendi mos invaluit; frequentissime ex vitro, aliquando etiam ex ebore, auro, argento. Ad triginta duorum numerus, bicolores (sexdecim enim albi, totidemque nigri fuere, vel rubri), omnes in tabula lusoria, hinc atque inde in duas turmas divisi, disponebantur, suisque regionibus lineisque conclusi; multa insuper cum arte movebantur, ne circumvenire alter alterum posset. Quod si quis ex calculis incomitus a duabus aliis discoloribus circumveniretur, *vinci* dicebatur et *capi*; si autem duo simul, contra ludi leges, moti loco fuissent, *capi* quidem a ceteris adversariis non poterant, sed *ligari*; hoc est ita conclidi, ut eos inde exire impossible esset, fierentque ludenti inutiles. His *calculi inciti* nomen; unde vulgare illud: «ad incitas redigi». Tres autem calculorum praecipuae species sunt adnumeratae: alii enim *ordinarii*, qui ordine, seu (ut est apud Varronem) per ordines transversos calculi agerentur, *vagi* alii, quia vague; *inciti* deinde, quos modo diximus.

Huius ludi Victoria in eo sita erat, ut alter alterum suis calculis omnino spoliaret, aut omnes ad incitas redigeret. Calculorum turba *milites* appellabatur; cui utrinque bini centuriones, bini elephantes, bini equites, bini satellites et octo pedites: totus enim hic ludus militaris aciei imaginem praebuit, quem propterea illi potissimum callere solebant, qui in re bellica versarentur; qui tandem superior discessisset, imperator evasisse dictus.

Media, quam dicimus, aetate, multa in ludi regulis immutata sunt: altero ex duobus centurionibus utrinque excluso, si gillum quoddam suffectum est, cui arabica voce *fazir* aut *visir* nomen fuit, qui paulla-

tim hodiernae *reginae* iura ac vim obtinuit. Usus denique calculos movendi, iuxta iactatas ad invicem tesseras, quem apud Indorum *sciaturanga* viguisse accepimus, omnino decidit. Ceterum de regulis ludi tunc temporis receptis abundantissime in nonnullis Orientalium manuscriptis dictum est, scripsitque fuse Italus quoque, frater Jacobus ab oppido Cessole, cuius opus omnibus fere Europae linguis interpretatum ac vulgatum fuit.

Finis rei sit versibus, iisdem elegantissimis, quibus Saleius Bassus in carm. *ad Pisones* ludum descriptis:

*Candidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitro peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros nunc, et niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat; ille petentem
Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis: hic se committere rixae
Audet, et in praedam venientem decipit hostem.
Anticipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad maiora movetur,
Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandrae,
Clausaque deicto populetur moenia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Proelia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam paucō spoliata milite vincis.
Et tibi captiva resonat manus ultraque turba.*

ALPHA.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTITIAE.

DE DEPOSITIS BAUXITIDIS INVENTIS.

In loco Tungar Hill, in ditione Thana (India), non procul ab urbe Bombay, ingentia deposita bauxitidis optima virtute praeditae inventa sunt, cuius composi-

tio haec est: aluminium 55-58 %, silex 0,3-0,8%, oxydum ferreum 3-11%, oxydum titanicum 2-6 %, aqua composita 28-31 %.

DE TERRIS TERCIARIIS VALLIS AQUILANAEE.

Dr. P. Principi geologice investigavit terras tertiarias vallis Aquilanae, debitam inveniens sequelam, sine intermissione, ab Eocene inferiore ad Myocenem superiorem. In stratibus Eocenicis Nummulitae et Orthofragmiae adsunt, quae simul cum permultis Lepidocyclinarum generibus in Oligogene inveniuntur; Lepidocyclinae autem simul cum Miogypsinis, Amphistegynis et Operculinis in Myocene quoque inferiore ac medio exstant. Myocenes superior denique exhibit arenarias ex marnis permixtas cum argillis, supra quas habentur conglomerations silico-chalcareae.

DE VARIA REACTIONE PLANTARUM.

Doctor G. Lucchetti inquirens in varias plantarum species, usus est variis culturis et ad variam chemicam reactionem (pH) traductis. Per hanc rationem invenit, usque ad pH-8,9 tantummodo solanum tuberosum chlorosim exhibere, parum tamen; insuper omnes plantas, in illis experimentis, melius fuisse in loco acido. Distinguenda autem plane est haec alcalina chlorosis a chlorosi chalcarea, quum nihil immutatum sit circa chalcaris quantitatem in terra existentem.

DE ALLUMITE IN GALLIA.

Dr. V. Charrin, polytechnicus, notitias maximi momenti affert circa unicum depositum allumitis in Gallia existens, concludens illud depositum certe in posterum utile futurum. Invenitur autem in Mont-Dore, in topis trachiticis, quibus constat alta vallis Dordogne. Ex analysi inventum est: 25,55% acidi sulfurei; 5,69% potassii; 23,53% alumini; 10% aquae; 7,33% sulfuris; non raro habetur sulphur nativum, quod vocant.

COLLOQUIA LATINA¹

XXI

Repetitio.

PUBLIUS, GAUDENTIUS.

PUBLIUS. — Conferamus inter nos audita, Gaudenti, antequam Magister hoc aditum ferat.

GAUDENTIUS. — Non ausim.

PUB. — Quae hinc est offusa religio? Qua de causa non aedes quod ipse Praeceptor, si resciscat nos agere, tantum abest ut ulla poena afficiat, laudationibus etiam prosequetur?

GAUD. — Quia fit cum periculo.

PUB. — Quo periculo?

GAUD. — Animadversores isti me hoc alias cum alio facientem in gregem fabulantur, per summum nefas, aliquoties coniecerunt, ut aegre postea, multa nimurum diligentique purgatione usus, constitutum garrulis supplicium evitaverim.

PUB. — Vix adiungere dictis tuis fidem queo.

GAUD. — Putas me somnia narrare tibi? Ecquando me cuiuspam rei tibi falsiloquum reperisti?

PUB. — Nunquam. Sed cur ego non memini istuc accidere?

GAUD. — Non semper es praesens in ludo; et, te absente, potest accidere, quod postmodum vel non credas, vel etiam mireris accidisse.

PUB. — Onus fortasse declinas, et aliud in pectore, aliud in lingua promptum habes.

GAUD. — Aliter est; tutiora eligo.

PUB. — Quam tu vereris culpam, ego praestabo. Consuestine solus tecum domi repetere explicationes Magistri?

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

GAUD. — Ut si conceptis verbis id me facturum iurassem.

PUB. — Non mirabor amplius te nunquam non paratum inveniri, quum iuberis auctorem exponere.

GAUD. — Parum conducibile est audisse, Publi, nisi recoles quae audieris, nec proxima tantum, verum longinqua etiam, quaeque ante hebdomadam, ante mensem explicata fuerunt, repetendo iteranda sunt, quoniam Themistocli aut Carneadi memoria non antecellimus, facileque auditorum obliviscimur.

PUB. — Posse, non quidem in dies singulos (nam id neutri foret commodum), at festis ac vacationum diebus, quum scilicet otium est a scholis, pauxillum temporis mihi tribuere, meque adiuvare, et communicare mecum hanc meam provinciam?

GAUD. — Ut una repetamus, et vicissim quae obscuriora sunt declaremus? Istud vis?

PUB. — Nempe istud.

GAUD. — Equidem possum, et tua causa volo. Ventitabis igitur in aedes nostras.

PUB. — Habes domum quietam atque a strepitu remotam?

GAUD. — Etiam, ubi nemo nos, ne musca quidem, neve musculus impedit. Sed satiis verborum: iacint rete pescatores; si leamus.

ANNALES

Italiam inter atque Aethiopiam discrimen.

Hoare, Anglii exterarum rerum administrari, sortem paulo post sequutus est Laval, Gallici administratorum collegii praeses, quamquam non ex publicorum legatorum aperta concitatione, sed recessu Henriot

suaequa partis collegarum in administranda republica. Post varia Reipublicae Praesidis tentamina ad novum administratorum coetum constituendum, munus is commisit Sarraut, qui alias iam gubernaculo reipublicae praefuit, et nunc etiam commissam sibi rem perficere valuit. Exteris rebus gerendis delectus est Flandin, qui in praedecessoris sui agendi ratione persistitum se declaravit, nempe Societati Nationum fidelitatis, pacisque pro posse fovet.

Itali tamen suum in orientali Africa cursum tenent. Die XII mens. Ianuarii, Graviani dux hostem inopinanter in Somalia regione aggreditur, premit, fundit fugatque atque ducenta circiter millia passuum ulterius progrederit: magna hinc Aethiopum caedes, captivitas, ingensque præda.

Haud satis vero haec victori, qui deinde Galla-Boranorum fines ingressus, Neghelli urbem regionis caput occupat, in ditionemque suam incolas recipit, quorum principes iam ab anno MDCCXCVI Italiae summum imperium foedere acceperant.

In Erithraea pariter feliciter ab Italibus pugnat: et illic enim hostis in inferiorem Tembien actionem meditans, ex improviso petitur, opprimitur, ad internacionem redigitur, cogiturque perfugio post Lata montem uti, qui et ipse in manus Italorum cessit.

Et Genevae apud Nationum Societatem de sanctionum effectu disceptatur!...

Graecorum et Aegyptiorum res.

Graecorum rex populi comitia indixit a quibus certior fieret de subditorum animo et mente; exitus vero non is fuit, qui palam indigaret quaenam pars in coetu legibus ferendis valitura sit, eoque magis quod Condylis, praefectus militum, qui regis redditum maturaverat atque eius partes dum rediret gessit, subita morte extinctus est.

In Aegypto pariter indicta comitia, ad diem ii proximi mensis Martii; interim administrorum collegium constitutum, quod regni praesentia tantum negotia expediat.

Anglorum regis obitus.

Pulmonum morbo brevi consumptus, die xx mens. Ianuarii, primum supra septuagesimum annum agens, e vita migravit Georgius, Anglorum rex, magnum sui desiderium non in Anglia tantum relinquens: sapiens enim fuit, prudens, magnoque animo praeditus.

Ei filius natu maximus Eduardus (hoc nomine octavus), Albertus, Christianus, Georgius, Andreas, Patritius, David, in regali domo ad Richmond-Park natus die xxii mens. Iunii an. MDCCXCIV, successit.

POPLICOLA.

VARIA

Interest Reipublicae ut illatae iniuriae puniantur.¹

Quibus causis magnopere indignentur homines et ad vindictam accendantur, apparere potest ex iis, quae populo Romano contigere, postquam tres Fabii, contra ius gentium, pugnassent adversus Gallos. Nam quum Galli tum ceteris Hetruscis tum Clusinis maxime pararent bellum, et hi auxilium a Romanis petiissent, legati tres, M. Fabii Ambusti filii, missi sunt, qui Senatus populique Romani nomine agerent cum

Gallis, ne Clusinos, populi Romani socios, a quibus nullam iniuriam accepissent, oppugnarent. Legati postquam mandata in consilio Gallorum edidissent, nec ii in ipsorum praesentia a pugna abstinerent, ipsi quoque arma capiunt, et cum Hetruscis coniuncti Gallos fortissime oppugnant; usque adeo, ut eorum unus Gallorum ducem, ferociter in Hetruscorum signa incursantem, hasta occiderit. Sed quum legatem spolia occisi Galli agnivissent esse legatum Romanum, idque per universam aciem innotuisset, receptui cecinere, odiumque, quod eo usque exercuisserent adversus Clusinos, universum in Romanos converterunt. Id odium deinde tanto magis crevit, quod quum legatos Galli Romam mitterent questum de iniuriis, postulatumque ut pro iure gentium violato Fabii dederentur, non modo id praestitum a populo Romano non est, sed iidem Fabii, de quorum poena agebatur, tribuni plebis consulari potestate in sequentem annum creari sunt. Quo facto, haud secus quam parerat, infensi Galli, bellum adversus Romanos propalam suscepserunt, et subito Urbem universam, solo Capitolio excepto, occuparunt. Ex quo sequuta Reipublicae ruina est ob unicam illam causam, quod Senatus illatam Gallis, contra ius gentium, iniuriam a legatis suis non modo non punivisset, sed praemis affecisset.

Est igitur vel in primis observandum in gubernatione Reipublicae ne iniuria vel publice vel privatim inferantur; et, si quae illatae sunt, ne impunitae relinquantur.

Nam et privatus homo, cui magna iniuria facta est, eam vindicare natura conatur, nisi ab iis puniatur a quibus puniri debet. Usque adeo autem naturae hominum insidet haec vindictae cupiditas, ut conentur iniurias vindicare, vel cum patriae ruina, si in libera Republica vivant; si degant sub imperio Principis alicuius, etiam cum propriae vitae periculo idem tentant; atque id ii maxime cordi habent, quotunque

animi magnitudine quadam excellunt. Apparet id luculentissime vel ex Philippi, Macedonum regis, exemplo. In cuius aula vivebat Pausanias, nobilis iuvenis et forma praestantissimus, cui per vim ab Attalo gravissima iniuria illata fuerat. Philippus quum Pausaniam, saepius de hac iniuria conquerentem, audivisset, Attalum vero non castigasset, sed summo loco semper haberet, ac tandem etiam provinciae cuiam gubernanda praefecisset, in odium Pausaniae incidit. Is enim, quum videret a rege in honore haberi illum, qui poemam meruisse, nec suas de vindicta iniuriae preces unquam exaudiri potuisse, tandem in nuptiis filiae regiae, quae Alexander, Epiri regulo, nupta erat, in templo, Philippum regem, coram sponso et Alexander Magno filio, interfecit.

Hoc certe exemplum iniuriae privatim illatae cum exemplo publico Romanorum legatorum coniunctum, omnes in universum Magistratus monere debet, ne inultas relinquant iniurias, quae vel publice, vel etiam privatim illatae fuerint, ne qui iniuria affecti sunt, ipsi magno cum rei publicae periculo de vindicta cogitare cogantur.

Cycnus moriens.

Cycnus edens ad mortem, ut fertur, suavissimum cantum, interrogatus a Ciconia quae res illo tempore faceret ut cantare et gaudere is posset, respondit id spe fieri bona vitae melioris et animo quodam praesago futurae felicitatis, in quam ex hac vita migrare se intelligeret. Interrogante praeterea stulta ave quenam illa esse posset ut eam absolveret: «An tibi illa parva videtur — inquit — quod neque querendi victus, neque insidiarum metu afficiat atque excrucier?».

Docet fabula, mortem non esse extime-

scendam, quae cum ad meliorem vitam bonos homines transferat, tum a multis miseriis abducat.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Iusculum ex ovorum vitellis.

Offellae agninae frixae.

Insicia cum lactucis agrestibus.

Frustula casei recentis.

Suavillum Florentinum.

Locosa.

TUCCIUS Patri:

— Ecce transennam hanc resina rubra illinis?

— Ne corrodatur a rubigine.

— Numne et mulieres, quum labia sua colorant, volunt ea a rubigine servare?

Pater TUCCIO:

— En tibi laganum; ne vero omittas cum fratre dividere: gaudium divisum dumplum fit.

TUCCIUS (secum): — Gaudium fortasse; minime quidem laganum!

Aenigmata.

I
Duritie cingor, quamvis sit mollis amicus:
Os mihi dat vitam, dat caput atque nemus.
Sum pallore madens, niveo fuscoque colore;
Me pallens adhibet, candidus, atque niger.
Me comitum, stipante manu, ad fastigia montis
Ducor, ubi involvit me cito silva frequens;
Confusum mordere nemus tum dente valebo,
Fulgebit corpus quum sine labe meum.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Quando ego multiplici motu instrumenta fatigo,
Dentibus actutum tunc datur esca meis.
Dum vario silvam serpit par infima gressu,
Pars suprema mei desidiosa iacet.
Desertura suos domini quum planta penates,
Tunc radios premit in vertice prompta manus.
Motibus innumeros, non tardis, protero calles,
Ut mea frons niteat; postea sorde lavor.

II

A teneo: vado per vias, vado per urbes;
E teneo: cupas fabricor arte mea.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Palea-r*; 2) *Canis*.

LIBRORUM RECENSIO

GIORGIALBERTI VALTER I. LL. Doctor, Tenente Colonnello di Fanteria S. P. E. *Properzio ele-
giaco dell'amore e poeta augusto. — Il suo
luogo natio in Mevania, attuale Bevagna. — Il
suo romanzo erotico; la sua riabilitazione* (2 carte topografiche, 2 grafici, 13 tavole fuori testo. Roma, 1935-XIII).

Nobilissimis vatibus id videtur nescio quonam fato constitutum, ut vivos patria fere nulla eos agnoscat, quos demortuos multae acriter sibi vindicent; id de Homero factum esse neminem latet, quod idem accepimus de Propertio, quem Umbriae urbes plures, non minus quattuordecim, proprium sibi asserunt, maxime Asisium, Spoletium et Mevania. Huic favet vetustissima virorum doctorum opinio, quamquam ex iis recentiores nonnulli magis inclinent in Asisium aut in Spoletium; non quod validioribus fulciantur argumentis, sed quod audentioribus indulgentes opinamentis altius clamitent. Id autem mirum, quod hi, maximam partem transalpini, rerumque locorumque quamvis ignari, quo audacieores proferant conjecturas, eo fidentius praesumant italicos quoque res italicas docere.

Quamobrem non sine causa ad hanc quaestio-
nem funditus exagitandam nuper redit Gualte-
rius Giorgialberti, vir litterarum copia virtute-
que militari praestans, hac in re vere peritissi-
mus.

Omnia hic perscrutatus videtur, loca, monu-
menta, codices, doctorum elucubrations, quae sive in Italia sive apud exteris hucusque gentes prodire, ut Hertzbergii *Quaestiones propria-
nas* (1843-1845), Paldamii *Romanum eroticum* (*Römische Erotik*, 1833), Plessisii *Studio critica-
de Propertio* (*Etudes critiques de Propertio*, 1864) Jakob, Lachman aliosque bene multos; qui omnes quum commemorarent Fabium quemdam Alberti, italum, Auctoris animum incendebant ad huius opera exploranda; id autem asse-
qui non potuit, nisi post diuturnos labores.

Quo hi pervenerint idem hoc opere nos docet ea doctrinae copia, tam suadente monumentorum cum locorum adjunctis comparatione, tanta argumentorum copia, ut legentium animos ad opinionem suam aut plane trahat, aut profecto vehementer inclinet.

Ad rem quaestionem suam tres in partes digerit apte; quarum in prima tribus capitibus tres illos expendit locos, ubi de sua patria Properti nos ipse docet; qui sunt in I. I eleg. I; in I. IV eleg. I, vv. 61-66; in I. IV, eleg. I, vv. 121-126, auxilio sibi advocatis aliis quoque eiusdem poëtae locis, monumentisque lapideis, quae Asisii dudum et Mevaniae inveniuntur.

In altera vero et tertia parte habemus carmina propertiana italicice redditia pro iis, qui latinam non plene calleant linguam.

Primae parti consulto anteponitur praefatio, qua eruditie illustrantur varii propertiani Codices; hi sunt: Codex Neapolitanus Guelferbytanus Gudianus 224, Codex Groninganus, olim Pesthianus appellatus, Codex Laurentianus seu Florentinus, C. Vossianus 3, C. Daventriensis 1792, C. Ottobonianus-Vaticanus 1514, C. Holkhamicus, C. Lusaticus, C. archetipus, Urbinas 641, Memmianus, Parisinus, Perusinus seu Cuiacianus, Hamburgensis, Dorvillianus, Francianus, Heinsianus, Mentelianus ac denique Editio Regiensis, quae Rhegi Aemiliae prodit anno 1481. Horum A. describit formam, retexit plerumque vicissitudines, fata historica, ratione ac via expendit auctoritatem.

Longum est eundem sequi dum studet proper-
tianis locis, quos commemoravimus, ante enucleandis, omnia complectens, singula notans, homines, res, regiones perscrutans; nihil eum latet, nihil praeterit, nihil fugit, quum a generalioribus ad particularia descendit, atque ab his ad illa redit recursus, ut concludat patriam Proper-

tii ab eodem satis aperte indicatam, unam esse Mevaniam, quae Etruscae pulveri

*Proxima supposito contingens Umbria campo
me genuit terris fertilis uberibus.*

Dixeris idem concinisse Vergilium (*Georg.*, 1, 2, vv. 146 ss.), idem Lucanum (*Phars.* I, 1, vv. 440 ss.):

*Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Adferat...*

Nec minus animum legentis delectat italicam persequi carminum versionem, quam habuimus a Michaële Vismara, equite, satis affabre expota.

Equidem, proh dolor, non omnia Properti carmina eam servant, quae semper debetur revercundiae reverentiam. Nimirum enim indulxit amorphis in eam, quae forte nec digna esset amore (lib. I, II et III); at vero tandem profecto experientia doctus, ad digniora suum ingenium musasque convertit, ad Romae illos celebrandos fastos, ad quos ipse forsan Ovidium adlexit; ad eam urbis concinendam gloriam, quae nullam pati maculam, nullam pati moram posse videatur, sed cotidie divino instinctu renasci ad cunctas usque gentes et virtutis et veritatis et fidei lumine collustrandas :

*Roma, fave, tibi surgit opus: date candida cives
omina, et inceptis dextera cantet avis.*

ROMANUS.

G. B. PIGHI, *I carmi latini inediti di A. Zappata*. — G. GARAVANI, *I carmi latini di A. Zappata* (Excerpta ex *Atti del III Congresso Nazionale di Studi Romani*).

In tertio conventu ad studia romanitatis promovenda in Urbe habitu, viri c. I. B. Pighi et Iunius Garavani de carminibus Alexandri Zappatae disputandum sibi sumpserunt, ille de carminibus nondum editis, hic fusius de reliquis iam uno eoque pereleganti volumine contentis. Nec quidem sine laude; nam Pighius, postquam, chirographis usus, de primis poëticis tentaminibus mentionem fecit, de nonnullis poëmatibus (*De Visitatione Virginis, M. Valerius Corvus, Bellum undique saeviens, Ante aram patriae*) docete dixerit, in quibus, licet minus laude Amste-

lodami ornatis, multa quae nitent inveniuntur, ut amor poëtae in patriam atque omen fore ut, post tot tantasque clades belli europaei, tandem, undique periculis adhuc ingruentibus, Italiae salus e fascibus recuperatis efflugeat.

Ioh. Pighius de A. Zappata plura per ephemerides digne iam disseruerat; quae vero in conventu iam dictis addidit, quaeque hoc opusculo continentur, et magni quidem pretii sunt, si quis haud sane ignobilem poëtam melius novisse cupiat, et non spernenda ingenii sui suique acris studii specimina omnibus probabuntur.

Iunius Garavani non minus curiose quam Pighius, immo maiore quadam facilitate atque abundantia suam rem pertractat. Quum A. Zappatae in Anconitano Lycaeum discipulus fuerit, idemque probabilis latinorum atque italicorum carminum scriptoris famam sit consecutus, fuisse ac doctam commentationem de desiderati magistri operibus compositus. Ibi enim nonnulla legere licet, quae nimis conferunt cum ad poëtae ingenuos ac pudicos mores enucleandos, tum ad exquirendum unde et quomodo poëta materiis suis carminibus conficiendis deduxerit, quae in re multam operam laudabiliter Garavanius impendit. Singulorum autem carminum argumentis vel breviter vel fuse allato iudicio expositis, illud denique auctor attingit, quos veteres poëtas Zappata sibi imitandos suscepit. Ad quam quaestionem Auctor, multarum rerum ratione habita, respondet ex omnibus latinis poëtis Virgilium tantum Zappatam summopere coluisse, quippe qui fere unus cum eius moribus quandam non parvam similitudinem congruentiamque praeberet.

Hanc opellam quam Iunius Garavanius profluenti calamo, magno amore in Magistrum ac magno studio scrispsit, aequo animo legimus atque aequo animo ii omnes legent qui, vel ante vel post Zappatae carmina manibus versata, de poëtae vita, moribus atque vi ingenii uberiori notitiam sibi comparandam proposuerint.

IOS. MORABITO.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[3]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Auctoritate vostra Metellum rogabo consulem,
Ut ille tandem redimatur. Et Metellus hodie
Certo rogabit senatum consul, utrum Regulus,
Ut civis Romanus, sit liber, vir fortissimus,
An ut servos in duris moriatur demum vinculis.
Considerate, Quirites, quanto sit vobis dedecori,
Si talis vir tabescat in vinculis hostium ».

CR. Valde ego illius commiseresco maximi viri.

SE. Magnam tabella vim habebit; quo debemus figere?

CR. Omnium primum ibi, quo senatus congregabitur.

PU. Aiunt legatos Numidas auditum iri publice.

CR. Si res itast, senatus in templum Bellonae convenit;
Itaque eodem nos loco figemus quattuor tabulas,

In foro quattuor et quattuor in Capitolio.

SE. Sex in circlo; namque ex quo Metellus tempore

Consul elephantes ibi curat ex Sicilia

Vectos, omnes eo cives consuerunt currere.

CR. Quom iam dilucescere incipiat, maturatost opus.

SE. Vale, tribune. — PU. Evocate civis ad sensum bonum.

SE. Novisti me; iam pol ego istuc consulam probe.

SCENA III

ATILIA, PUBLIUS

AT. Mi fili. — PU. Salve, mater, tune es? tu minumam
Tibi non das quietem. — AT. Maeror hanc tempore adferet.

PU. Quid video? nam etiam tecum duxisti fratres meos.

Num, mater, isti puelli quid hoc proderunt?

AT. Conspectu hercle et lacrums horum innocentium
Si non consul, at certe populus fortasse commovebitur.

PU. Istaec mihi res, matercula, fateor, non placet,
Namque iste ploratus nos dedecet. — AT. Quid? hocine

Te non decere? iam tibi dicam, quid dedecet.

Dedecet enim duritia, quam filius acerrimus

Iactanter istic ostentat, naturalem matrem suam

Maerore confectam audens indignitatis criminariet.

PU. Ignosce, mater. — AT. Ut ego tibi non ignoscam istoc die?
Quem tam pulcre coepisti ac spero, finies pulcrius.
Eo tribunus es, tuom ut patrem captivom liberes.

Reputa sis apud te nullum esse hoc maius officium,
Quod plane exsequi debeas. O si ignis, qui maxumo
Crucioque me cruciat dolore, tibi quoque pectus excitet!
PU. Audi me, mater mea; quom tu istaec verba enuntias,
Magno meum furore pectus hercle ardere sentio.

Fortuna patris tuaque miseria me ad facinus audacissimum
Impellunt; at ubi animi procella remittente mecum querito,
Quomodo hac in re civis Romanus se gerat...

AT. Quis tandem hic percontatur, ubi natura loquitur?
Ego, ecator, ego coniux, mater, civis femina
Virum meum, patrem gnatorum innoxiorum, exercitus
Imperatorem, Regulum Romanorum civem maximum
Ex vinculis ac turpi morte liberare debo.

Nam quid essem, nisi hoc meum putarem? Eheu quid agam?
Naturae vox est efficax, quo non possint resistere,
Quorum in pectoribus magni ac generosi sunt animi
Iisque contemnuntur, qui illam ad quaestionem vocant.

PU. Nunquam ego pol eam in quaestionem voco;
Mollem vir ibi debet vincere mollitudinem.
Verum tamen quom virtus civilis iacturam postulat,
Mollem viri ibi debet vincere mollitudinem.

AT. Quid censes, mi gnate? num civile officium
Virum patriae fortissimum liberari votat?

PU. Edepol multum perderet Romana civitas,
Meum si patrem liberaret; istuc hostem non latet,
Quantum sibi sit emolumentum, quod illum tenet
Captivom, centum expugnatorem oppidorum et urbi.
Illum, tot annorum totque pugnarum sanguinearum praemium,
Qui ante portam Karthaginis tetendit urbi minitans,
Vix hostis liberum dimittet, nisi forte Romani patres
Omnis Karthaginensis in libertatem vindicaverint.

AT. Nunquam profecto merita patris tui noveras,
Quom tanti ducas eum cum cunctis hostibus permutarier.

PU. Falso me reprehendis. O si res a nostra pendeat
Mente nec certo sciam, quam sit constans pater!

AT. Sua certe novit ipse merita. — PU. Non putat
Se mortuo patriam suam desolatam fore;

Multost maior, quam ut possit esse multus sibi.
Istuc erigit animum sibi, heros ut sit inter herois;

Parvom se ducat, nisi aliis praeter se magnus siet.
Vixdum fuerat ipsius consulatus in exitu,

Postquam reportarat plurimas victorias,
Petivit, ut domum redire liceret sibi.

Edepol coronis aliorum laureis non invidet.
Ex hoc fit, ut cum Karthaginensibus omnibus